

rupto. Sed codicilli, mortis causa donatio, & alie ultime voluntates nullam solennitatem ordinationis, excepto testamento, desiderant § fin. inf. de codic. Vigl. ad pr. h. t. & Corn. 9. Comm. 1. At ulterius instet quis cum Vult. hoc pacto excludi testamentum militis, & sic definitio redderetur angustior; uti sentit Ant. Math. in not. hic Resp. Don. 6. Com. 4. Solennem hic nominari talem qualem jus desiderat in supremis voluntatibus. In militari igitur testamento & solennitas debet intervenire, que est heredis institutio l. 1. inf. D. de vulg. & pup. substit. Hinc militis testamentum à Dd. non vocatur, non solenne, sed minus solenne. Nec necesse ut ex Accurs. definitioni clausula hæc, cum heredis institutione, addatur. Nam ea sub voce Iusta que forme locum obtinet, satis est inclusa. Ac hanc definitionem viriliter propugnant Bronch. 2. misc. 8. & Obrecht. 19. disp. th. 41. usq; ad 99. Si quis tamen omnino superciliosè illam respicit; hæc exactior forsitan & melior ei satisfacere poterit: Testamentum est voluntatis nostre sententia de eo, quem post mortem suam quis heredem sibi esse velit.

V.

Estq; testamentum paganum vel militare; (a) ac utrumq; scriptum vel nuncupativum. (b)

(a) § sed ut nihil 1. Inst. h. & pr. Inst. de milit. test. Paganum est, quod non fit jure ac solennitate militum, sed omnium civium more publicoq; instituto: Militare contra, quod ritu ac jure militari eoq; speciali peragitur. Ac non proba hæc est definitio: Testamentum pagani est quod fit à paganis. Nam & miles jure communi rectè testari potest, si velit, cum quilibet juri & privilegio pro se introducto renunciare valeat l. pen. C. de pact. Vult ad pr. Inst. h. n. 36. Passim verò in ll. Pagani, dicuntur omnes illi qui militie sacramento non sunt obstricti, atq; militibus opponuntur l. 1. § 1. D. de serv. fug. l. milites 12. in f. D. de custod. reor; licet aliàs in l. Christianis 6. & t. t. C. de pagan. hoc nomen tribuatur infidelibus, qui Christi vexilla non sequuntur VVesen. in par. C. d. t. (b) § sed predict. 2. & § ult. Inst. h. Dicimus utrumq; contra Guorn. in Inst. Analy. Petr. Greg. in Syntag. lib. 42. c. 3. n. 6. & alios qui hanc testamenti in scriptum & nuncupativum distributionem ad

nem ad